



DECVS ET EXEMPLVM
BONI PASTORIS,

IN
V I R O

MAGNIFICO SYMME REVERENDO
AMPLISSIMO

D O M I N O

SALOMONE
DEYLINGIO,

S. S. THEOLOGIAE DOCTORE
CELEBERRIMO,

ET EGREGIIS IN ECCLESIAM CHRISTI
MERITIS MAXIME CONSPICVO,

CONSISTORII ELECTORALIS ET DVCALIS
ASSESSORE GRAVISSIMO,

AD D. NICOLAI PASTORE, DIOECESEOS LIPSIENSIS
SVPERINTENDENTE DIGNISSIMO,

PATRONO ATQVE EPHORO SVO
EXOPTATISSIMO,

DOMIN. MISERIC. DOM. MDCCXXI.

SOLENNI CONCIONE

IN AEDE D. NICOLAI

HABITA

BONI PASTORIS IDEAM

DELINEANTE,

GRAVISSIMVM MVNVS AVSPICANTE

GRATVLAVNDA VENERATVR

SCHOLA NICOLAITANA.

LIPSAE,

LITERIS IMMANVELIS TITIL





Uc ades, huc tandem nobis, o care Menalca,
 Pastor ades, nobis virus dum Pastor Jesus
 Rursus adest, ac viva suis solatia præstat,
 Unus Christiadum qui Pastor & optimus
 idem,
 Huc ades expectate Tuo, bone Pastor, ovili:
 Huc sacri fontes huc Te tilheta vocarunt.
 Huc ades o venerande, diu Te pascua nostra

Invitant, Te lætus ager desiderat unum:
 Te Milon dudum prospectat & almus Alexis,
 At dum prospectant, ac Tute moraris, & ipse
 Deserit ecce gregem subito, pecuaria linoquit
 Ante diem ad Superos abiens divinus Alexis.
 O quoties & ovilis amans metuensque futuri
 Te suspiravit, Tibi ne grex undique totis
 Turbaretur agris, quoties pia Numina rebus,
 Supplice voce, animo, dubiis in vota vocavit,
 Et nunc complexu in caelis propiore fatigat,
 Atque gregis spem commendat causamque tuendam
 Pastori agnorum summo, qui natus & agnus
 Ipse DEI, immundi pro crimine victima mundi,
 Nunc Rex, & Pastor, vita, omnia in omnibus unus.
 Thure pio cui corda hæc, nostra altaria fumant,
 Cujus nos adeo totos adolemus honori,
 Atque pedum veneramur oves, nutumque sequentes
 Mitia per virides captamus pabula campos,
 Æternæ recreamur aqua de fonte salutis,
 Securaque isto fruimur tutore quiete,
 Ad supera ætheriis redituri, septa catervis.
 O quoties fugiens tot per spineta lacertos
 Consuevit desideria huic sua jungere Milon,
 Ad juga Parnassi teneros dum pasceret agnos,
 Indeque per valles ad sacra cacumina montis

* Summe Rev. D. D. y. l. Obs. Serv. Sac. Part. III. Obs. XXXV. p. 254. quo sensu Christus i. d. d. v. r. e. e. s.

Duceret ingenuos ac pascua læta Sionis:
 O quoties, sensum memini, si verba tenerem,
 Conceptis precibus Te grex ac voce vocavit,
 Pastorem unanimi voto dum Fata poposcit,
 Qui pius & doctus litis fugiensque malignæ,
 Qui, quo deducat miseram discordia caulas,
 Noverit, atque probò prudens moderamine rixas
 Infaustas vitet rixas, & cogitet illud:
 Pascere oportet oves pastorem, haut bella ciere
 Inter pastores, aperire lupisque fenestram,
 Hostibus heu sævis nimium stabuloque propinquis.
 Audiit ecce preces Numen, Te care Menalca,
 Pastorem ex voto nobis, Te reddidit almum
 Præsidium his gregibus, tiliis decus omne futurum,
 Vellentem spinas & pingua culta rigantem,
 Pascua læta bonis ovibus, pastoribus ægris
 Oïa post nimios reddentem justa labores.
 Fidus ades nobis Pastor, germana Lutheri
 Progenies, hujus quem nobis patria, amores
 Tot lacrimis testata suos, Islebia, misit,
 Nunquam etiam, ni Te revocassent Fata, teneret.
 Huc ades, o venerande, Tibi jam lilia Nymphæ
 Ecce rosas hilares nectunt, spirantibus hortis
 Excipiunt flores, venientique omnia rident:
 Sponte sua facilis producit germina tellus:
 Sponterevidentes surgunt per pascua flores:
 Vernat ager, tiliæ turgent jam flore propinquo,
 Inque Tuum adventum roseum nemus omne virescit:
 Te placidi soles & mobilis aura Favonii
 Acceptum cælo comitantur, Lipsia tota
 Surgit in amplexus, Tibi septa & ovilia pandens:
 Ecce pium nobis divino redditum amore,
 Inquit, pastorem: qui pascua læta parabit,
 Virtutisque viam studio stimulante docebit.
 Mille piæ confestim animæ cælestibus ultro
 Parebunt monitis, divinaque jussa capessent
 Tam cari Pastoris. Amant Tua pabula læti
 Approperantque greges: Sub Te Pastore, Menalca,
 Lætius assurgit præscripta ad munia pastor.
 Te canet Vpilio, Melibæus concinet, illis
 Mox respondebunt iterato carmine, dignas
 Munere cantabunt tiliæque rosætaque laudes.
 Urbi dulce decus tiliæ: floresque decori

* Qui ut citandi, a pravisque pastoribus & pascuis Babylonis succedendum sit, declaratum vide a Summo
 Rev. D. Doyl. Observ. l. c. p. 394. seq.

Sunt tiliis: harum dulces sub floribus umbræ:
 Sunt umbris decorique greges, gregibusque Magistri:
 Tu decus omne Tuis gregibusque gregumque Magistris.
 Sunt decori huic ædes urbi, totque ædibus almi
 Sunt possessores decori: His commercia Musis
 Juncta probis: Pietas bis addita: Tempa chorique
 Sunt decori pietati: His at Tua cura, Menalca.
 Nicolai Templo vicina mapalia Musis
 Sacra, Tuam dudum jam suspexere Menalca
 Doctrinam venerande, his Te sibi rite Patronum
 Poscunt, spemque suam, Milone interprete, produunt.
 Insculpto is nuper tiliis Tua nomina nostris
 Incidit teneris ac nostros carmine amores:
 Crescite cum teneris tiliis pia nomina, dixit,
 Et cum nominibus tiliisque excrescite amores.
 Jam tiliæ florent, crescunt: crescatis amores!
 Sis bonus o felixque Tuis, venerande Menalca:
 Auguriis letis responde, hæc omina comple,
 Quæque Tibi tenui Milon meditatus arena est,
 Audi, & ama nostram, quamvis sit balbula, Musam,
 Aggressusque novos, amplissima munera, honores
 Nostro concedas inter Tua seria ludo
 Quæso locum; Lauros, quamvis sint pauperis horti,
 Dona cape: has hederas nec sperne humilesque myricas.
 Si melius, quod speramus, curante Menalca
 Mox hortus vireat, foetura gregemque tenellum
 Suppleat, ingenuæ tanto pro munere grates
 Te, decus & nomen dignum laudesque manebunt.
 Interea, qui curat oves omniumque Magistros,
 Te nobis seruet, Tibi seraque sidera præstet:
 Tardus eas ad Pastoris promissa supremi
 Præmia, tardus eas, hic Te tilieta morentur:
 Hic Pater, hic Pastor dici merearis amesque,
 Vsque boni exemplum referas Pastoris Jesu,
 Vsque & oves illi, charissima pignora, serues!



78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506

KONP

017





DECVS ET EXEMPLVM
BONI PASTORIS,

IN

V I R O

MAGNIFICO SVMME REVERENDO
AMPLISSIMO

D O M I N O

SALOMONE
DEYLINGIO,

LOGIAE DOCTORE
CELEBERRIMO,

IS IN ECCLESIAM CHRISTI
IS MAXIME CONSPICVO,

ELECTORALIS ET DVCALIS
SSORE GRAVISSIMO,

ASTORE, DIOECESEOS LIPSIENSIS
TENDENTE DIGNISSIMO,

ATQVE EPHORO SVO
KOPTATISSIMO,

MISERIC. DOM. MDCCXXI.

NI CONCIONE
AEDE D. NICOLAI

HABITA

PASTORIS IDEAM

DELINEANTE,

IMVM MVNVS AVSPICANTE
ATVLAVNDA VENERATVR

NICOLAITANA.

LIP SIAE,

ERIS IMMANVELIS TITIL.

